

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Regiæ Fridericianæ Joannes Franciscus Bvddeus,
S.S. Theol. Lic. & Philos. Mor. ac Civ. P.P. Ord. una cum
Professoribvs Reliquis ad ...**

Buddeus, Johann Franz

Halæ Magdeburg., [1702?]

VD18 13433482

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198715



Primum illud *resurrectionis* J. C. D. N. *testimonium*, quod verbo & opere, *virtute magna* *reddebant Apostoli*: quo unice vivit & proficit ecclesia: quod lætissima cum admiratione laudatur in *Actis Apostolorum*: utinam nunc penes nos omnes reviviscat, novo *gratie* flore, eoque immarcescibili! quemadmodum *testimonio* isti legitur adscriptum: *Et gratia magna erat in omnibus illis. Act. IV, 33.* Utinam seriis quisque precibus relegat primitivæ convictionis vestigia, quæ tanto quidem exstant numero, tantoque pondere! Magno certe pretio constitit *τὸ μαρτυρεῖν τῆς ἀναστάσεως*, sæculis tradendum secuturis, per manus testium, qui difficillime crediderant, ne, ut scite dixerunt veteres, *dubitaretur a nobis*.

Quando igitur vobis, Cives lætissimi, præeundum est publica exsuscitatione: ex *Actis*, ecce! utraque manu, & amplectimur ipsi, & exhibemus vobis breviarium quoddam, idque ex Petri ore, qui prima in solenni festo sublata voce, potenter proclamavit I. C. resurrectionem, tanquam necessariam, & ex visceribus doctrinæ intimis protrahendam. *Quem* inquit, *Deus resuscitavit, solutis doloribus mortis, juxta quod NON erat POSSIBILE teneri illum sub ea.* *καθὼν ἐκ τῆς δύνασιν νεκρῶν* *ὅτι οὐκ ἔστιν δυνατὸν νεκρῶν* *ἔσθαι αὐτὸν ὡς αὐτὸς* *Act. II, 24.* cuius, pergit, nos omnes sumus testes *μαρτυροῦμεν* *v. 32.* Videte proloquentem *virtute magna, parrhesia incomparabili* (*v. 24. 26. 29.*) communi nomine, eum, qui ipse sepultus paulo ante jacuerat tenebris tristissimis ac mortis vinculis; nunc redivivus, plenus S. Spiritu, instructus vivificæ Theologiæ clavibus, ex operatione communi mortis & resurrectionis Christi, jam vere Petrus. Matth. XVI, 17. 18. Sunt profecto beati plus quam terque quaterque, qui exantlatis justis laboribus, de quorum spatio solius Dei arbitrium est, impetrant divinitus, ejusmodi perspicentiam, vimque bene concludendi ex sacris

cris

cris colligunt tabulis; eandem expetunt saltem, ac vere desiderant. Ex adverso reputamus eos omni jure vivos mortuos, qui absque hujus lucis aurora sunt, nec ad robur illud verum eniti cupiunt.

Quid vero vidisse Petrum censetis, ut, cum *resurgere ex mortuis inter adavata & amra* (Mt. XXVI, 8. 23.) referri vulgo soleat, is rem publice vertat in contrarium, potiusque Christum *sub morte teneri* inter plane *adavata* collocet? Morte sua defunctus omnino fuerat Iesus Nazarenus in conspectu omnium; aperto insuper, in veræ mortis experimentum, ipsius latere. Speciem utique nonnullam præ se ferebat, cum clamarent Scribæ & Sacerdotes primarii: *Christus, Rex Isræl, Electus Dei, Filius Dei, descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus, succumbens, num addet, ut surgat?* Ps. XLI, 9. Matth. XXVII, 40. 63. XXI, 39-42. Ipsi discipuli de sepulto desperaverant propemodum, nimis obliiti eorum omnium, quæ Magister prædixerat toties oportere fieri, moriendo æque & resurgendo, die constituta secundum Scripturas. Luc. XXIV, 7. 11. 16. 21. Joh. XX, 7. 9. 1. Quæ ergo nunc fiducia constituit Petrus, interpres quoque commilitonum, canonem istum, velut per se firmum & *avtomov*: fieri non potuisse, ut teneretur Iesus *sub morte*? interemtum licet, tanquam *exdogm*, definito ita consilio & providentia Dei. v. 23. 24. Scilicet *aperuerat* tunc Salvator vivens sensum Apostolis, ut intelligerent Scripturas. Luc. XXIV, 44. 45. 34 recollectis ex summa agitudine Viribus. Ex Scripturarum igitur penetrabilibus, quæ referata in ipso quasi evigilaverant, dilectione Christi sub omnibus difficultatibus atque tentationibus anxie satis custodita, sistit Petrus, erecto animo, conspectum *totius patris* salutaris, Vadem nostrum inter & Deum Patrem initi; quo salvo non potuerit derelinqui mortuus, qui ex pacto isto Salvator constitutus fuerat hominum. David enim, Propheta NB. cum esset, & sciret, quia jurejurando NB. jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus, *TO kata sigma*, quantum ad carnem pertinet, sese suscitaturum esse Christum, ut hic sedeat super sedem ejus, dicit in eum, *is avrov*: Providi Dominum coram me semper, quoniam a dextris meis est, NE commovear. Propter hoc letatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea super spe collocabit tabernaculum, quoniam NON derelinques animam meam in inferno, NEC DABIS Sanctum tuum videre corruptionem. Providens (David) locutus est de resurrectione Christi. Hac Petrus v. 25-30 aliaque quæ subsequuntur, invicte afferit ex Ps. XVI quem, ut constat, de Messia explicant Rabbini veteres, eundemque Psalmum

deducit ex nucleo officii Prophetici thronique Davidici atque ex natura genuina fœderis Messiani. Succinit Paulus, ipse olim hostis Christiani nominis, testis nunc eo dignior fide. *quod autem suscitavit eum a mortuis, ne amplius quidem reversurum in corruptionem, ita dixit: quia dabo vobis sancta David fidelia.* IDEOQUE & alias dixit: *non dabis Sanctum suum videre corruptionem.* Act. XIII, 34. 35. 29.

Atque ita sibi constat oraculum Apostolicum, si ex vaticiniis mente ad ipsam salutis nostræ æconomiam probe digeratur. Videmus ita inoffensa facie Jesum, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, ut sic Dei gratia pro unoquoque gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, eum, qui multos filios in gloriam adducturus esset, Auctorem salutis ipsorum per passionem consummare, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat uxorē, hoc est, diabolus, hosque dimitteret, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti. Ebr. II, 10-15. 3. 4. Præstitis hinc præstandis, tametsi ad extremum res pervenerat, non erat utique possibile, ut teneretur *νεκρῶν δαυδ*, qui satisfecerat decreto divino, sub morte. Col. II, 14. 15. 13. 12. I, 11. 13. 14. Quod enim est emortuus, peccato demortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo. Ultra mors illi non dominabitur. Rom. VI, 9. 10. Ps. XL, 2. 11. 12. Utrumque impleri debuit, unumque propter alterum: & quod passurus, *παθὴν*, & quod primus futurus *ἰεὺ ἀναστασις*. Act. XXVI, 23. 22. XVII, 3. 18. 31. Rom. IV, 25. 1. Cor. XV, 3. 8. 21. 25. 53. Rex in ipsa morte Luc. XXIII, 42. & Vindex legitimus per ipsam mortem Ebr. II, 14. Ideoque *ἰεὺ ἀνάγκης* sequitur, ut in morte sanctissima veri nostri Simsonis & *צדק*, qui est Sanctus Dei, plane *ἀνακ*, qui neque habuerat neque fecerat peccatum, mors absorpta sit in victoriam. 1. Cor. XV, 54. 55. Joh. XII, 27. 31. 32. XIV, 30. Ebr. VII, 25. 28. ut solverentur dolores mortis, qui certe fuerant in Jesu *ὡδίνες* propriissime, hoc est, dolores ad partum, ad partum scilicet vitæ, per ipsam vitæ jacturam ad tempus, secundum vim virtutemque *vita indissolubilis*. Ebr. VII, 16. 3. Es. LIII, 10. 13. Ebr. V, 7. 8. XI, 19. 35. Ps. CXVIII, 17. 18. 24. Jonæ II, 11. & Matth. XII, 40. Luc. XXII, 51. 53. 54. 37. Non est vera resurrectio, ubi non præcessit vera humanarum partium dissolutio. Sed quia Christus *λύτρον* solverat, Pater quoque *λύσις* solvit funes, quibus tanquam vinculis confictus fuerat is, qui regeneraturus erat alios ex morte in spem vivam, per resurrectionem suam, in hereditatem incorruptibilem & immaculatam & immarcescibilem, aperto per velum carnis suæ introitu. 1. Petr. I, 3. 4. 19. 21. Joh. XI, 25. 39.

40. 44. XIX, 36. XX, 20-23. Ebr. X, 20. quippe libere ac sponte, servus factus, manens Dominus vitæ suæ, ponens animam suam, ut ponendo rursus acciperet ipsam, secundum instructionem acceptam a Patre: Joh. X, 17. 18. 29. 30. Ecl. L, 5. 6. 7. Eo pacto Goël nostrer moriens, qui per Spiritum æternum, ἀσώγιον, semetipsum obtulerat inculpatum Deo, tradidit Spiritum suum in manus Patris Ebr. IX, 14. Luc. XXIII, 46. ut, inventa æterna λύσις, pretium incorruptibile sanguinis expiatorii deferret redivivus in sanctum sanctorum, Deo representandum Ebr. IX, 22. 24. 1. Petr. III, 18. 21. IV, 6. Egregie Chrylostomus ad Rom. IV, 25: vide, quo pacto Apostolus causam commemorans mortis, eandem & ἀπὸ τοῦ θανάτου facit resurrectionis. si crucifixus est, qui non erat peccator, idque propter alios: omnino resurrexit. similes concludendi rationes reperire licet Vol. I. PP. Apost. Cotel. f. 20 & 402. Clare porro Scriptura dicit: ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, & dona dedit hominibus. hoc vero quod ascendit: quid est nisi quod etiam descendit prius in inferiores partes terræ? Qui descendit, idem & ipse est, qui ascendit supra omnes cælos, ut impleret omnia. Eph. IV, 8. 9. 10. Ebr. VI, 18. 19. 20. Pari jure nobis licet colligere: Messias, si debuit ascendendo captivam ducere captivitatem, non potuit captivus manere. Messias, si ascendere debuit, debuit prius reviviscere vi ejusdem summi officii, ex quo mori eundem decuerat, sicque occupare dominium cæleste in carne, ipsi semper debitum, & ex vita sua recuperata præstare vitam, quam promiserat in se credentibus, sempiternam, suo quibusque ordine. Rom. XIV, 9. Act. II, 14. 35. 36. Luc. I, 32. 35. 51. 2. Tim. I, 10. factus Dominus, quæ αὐτὸς γὰρ ὁ μὲν ὁ Θεὸς Act. II, 30. 36. 24. Rom. I, 3. 4.

Quamprimum igitur analogia hæc rerum fidei coaluerit in peccatore: tum cernitur firmiore ratione veritas historia resurrectionis J. C. D. N. & creditur digniore modo. Nobis sane id est quam certissimum, quod eodem ductu Petrus ex omni dubitationum nocte ac labore emerferit. Quod & quisque alius assequatur opportune, qui Apostolorum his vestigiis insistere, & ad Deum convertere faciem suam voluerit.

Equidem alio prorsus trahunt locum nostrum Michael Gittichius & Valentinus Smalcus. uterque scripto libello de satisfactione, inde, quod non fuerit possibile detineri Christum a morte, inferentes: quod nec potuerit æternam subire mortem; quæ sit vulgaris Christianorum sententia. Verum enim vero manifestus abusus est &

sententia, quam vulgo receptam dicunt, & loci ipsius. Nosse poterat uterque ac debebat, quomodo Deus ipse in consilio de salute nostra restituenda nodos hos solverit atque expediverit solus, una cum Agno illo benedicto, referante librum, toto capite V. Apoc. Debit nempe Sacerdos constitutus *pro unoquoque*, ut paulo ante diximus, gustare mortem. Mortem, non sibi debitam, sed *ab unoquoque nostrum* promeritam. Mortem, cujus superandæ nemo nostrum capax per se, in *infinitum* usque, fuerit: quam, iuste superandam, Christus in se suscepit, ex charitate divina summa, nobis sibi *de novo* obstringendis: atque *rem ipsam* vere in se transtulit; ut tamen propterea non sequatur, debuisse *eum ipsum* etiam in æternum *morte nostræ* teneri. æterna enim mortis *duratio*, quam Gittichius & Smalcus intelligit per æternam mortem subeundam, *nobis* tantum accidit ex *nostra* parte, nec provenit nisi ex conditione subjecti, ut in scholis loquuntur, & *finiti*, & plane *inepti* ad evincendam revolvendamque causam. Agnus vero Dei, qui erat in principio apud Deum, *caro nostra* factus Joh. I, 1. 2-14-29-36. Vita æterna apud Patrem, exiens a Patre, & veniens in mundum: iterum relinquens mundum, & vadens ad Patrem 1. Joh. I, 2. V, 20. 19. 18. Joh. XVI, 28. 15. novissimus Adam *γενόμενος* in spiritum vivificantem, secundus homo, Dominus ex cælo 1. Cor. XV, 45. 47. Solus hic *Αὐτός* pro dignitate sua *infinita* & ex officio supremo, quod suscepit, aggredi potuit reatum mundi, data carne sua *pro mundi vita* Joh. VI, 51. 57. 39. adeoque loco nostro, existens tamen & permanens in divina hypostasi, aggressus est morte sua mortem nostram *ἀντλήθη* *ἡμῶν*; mortem, quæ certe *infernalis* est sua natura, præcipitatura per se in æternum, nisi de suo intervenisset & subvenisset *ὁ ἰσχυρότερος, ὁ Θεὸς ἡμῶν*; subeundo sane mortis nostræ aculeum, quem sensit proportionem *intensissima*, & extremo cum acumine derelictus, expers ad tempus solatii divini; at perferendo, & perdurando sanctissime, semetipsum per æternum Spiritum Deo offerens *inculpatum* (in quem mors nulla, nedum æterna, juris quid habuit) usque ad mortem crucis; comprehensus nec ullo pacto exceptis iis conditionibus, quæ ad pium usum nostrum sanguinis sui sacerdotalis pertinent. Iniquum ergo fuerit, Christum, prætextu susceptæ nostræ causæ, constringere velle in nostros limites. Tantum a Vade & Sacerdote nostro factum est, quantum utrinque decuit pro scopo assequendo, & pro natura negotii, quia non erat possibile, vel rei agendæ conveniens, ut mors solvere posset unionem, quam vocamus,

mus,

mus, personalem; etsi mors vere consummata fuit, secundum humanam naturam, in unitate personæ. Imo in ipsa morte Effractor noster, quem diximus, Deus & Homo præstitit *Vindicem*, isque tum maxime egit coram divino iudicio, cum maxime passus est. Hinc mors ejus ipsa dedit remedium justum ad erectionem sui, operatione & quasi retro-actiōe potentissima. Hof. XIII, 14. ut teneri is morte non potuerit, qui in se erat Resurrectio & Vita, pro nobis autem præstanda præstiterat; ut potius is ipse jure omni caput suum extulerit Victor. cum sit (ὢν) splendor gloriæ & character τῆς ὑποστάσεως Dei Patris, per seipsum (notetur nexu) facta purgatione peccatorum, confedit ad dexteram Majestatis in excelsis (non definens agere pro nobis, sicque iusta proportionē implere omnia) Ebr. I, 3. 10. 11. VII, 3. 16. 26. 27. 28. 24. Joh. X, 30. 17. Is nisi fuisset, qui mortuus est pro nobis, non potuisset, fatemur, adinvenire æternam redemptionem, adeoque nec retroolvere mortem æternam Ebr. IX, 12. 14. Joh. III, 36. 31. Ast quia alius non est, qui mortem nostram gustando intercepit, quam is, ut ex revelatione Scripturæ tenemus, Filius nempe Dei unigenitus (mortē non interceptus, ut Hilarius loquitur in Ps. 53.) mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu; in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus prædicavit 1. Petr. III, 18. 19. IV, 6 qui non potuit derelinqui eis ad Act. II, 27. 31 inde vox illa exsurgit Salvatoris, Ne timeate, ego sum primus & ultimus, & Vivens. & eram mortuus, & ecce! Vivens sum in secula seculorum, Amen! & habeo CLAVES INFERNI & MORTIS. Apoc. I, 17. 18. Matth. XVI, 18. 19. 20. 21. 1. Cor. XV, 55. Inde vox illa Ejusdem, tanquam primi & novissimi, qui fuit mortuus, & revixit, ad Smyrnicos suos: qui vicerit, non ladeatur a morte SECUNDA (per me rescissa atque interrupta) Apoc. II, 8. 11. XX, 1. 6. 14. XXI, 8. Zach. IX, 11. seq. Quin etiam passurus adhuc Immanuel ἐξ ὧν sibi vindicat ponendi, & resumendi animam pro ovis, NE pereant in æternum, nec rapiat quis eas ex manu sua, ex manu Patris sui. Ego, addit basin, & Pater, unum sumus. Joh. X, 17. 18. 30.

Atque ita per autores istos, Gittichium & Smalcium, tantum abest, ut, quod intendunt, ad absurdum redigi possit doctrina de morte Christi satisfactoria, ut potius isti sibi ipse male prospexerint; quia fatentur, non potuisse Christum morte teneri, nec tamen integras relinquunt potiores illas rationes, ex quibus, ut probavimus, id constat maxime, quod fatentur nobiscum. Quod si vero sibi persuaserint se eos esse, qui valeant vel saltem studeant aptare ad captum hu-

MANUS

manum res divinas: non quidem nunc vacat exponere, quo usque id liceat, nec ne, attamen male id ab istis fieri compertum habemus atque exploratum. Quæ enim in sacris, quas agnoscunt, literis conciliare debebant ex ipsis sacris literis: torquere & evertere malunt, si ea ipsis videntur addebat, quam audaciam ingenii missam facere. id quod per Dei gratiam ex ipsius F. Socini disputationibus de I. C. Salvatore & J. Crellii de causis mortis Christi, etiam ubi causas mortis & resurrectionis inter se contendunt, ostendere possemus, nisi spatium scribendi nos plane jam deficeret.

Nos proinde æterno Patri submississime agimus gratias pro dato & resuscitato Filio Salvatore, etiamque pro testimonio verbi ad accendendam & retinendam fidem victricem, tam paterne disposito. Intelligimus arctissimum vinculum, quod est inter adventum Messie ejusque mortui resuscitationem, sed petimus fidem utriusque a Deo calidissimis suspiriis. Joh. XI, 25. 26. 27. Vitam nostram pro vita non habemus, sine hac basi pacis & solatii. 1. Cor. XV, 19. 2. Cor. XIII, 4. Rom. VII, 2. 4. VIII, 10. VI, 9. X, 9. 1. Joh. V, 18 sq. III, 9. De hac vero persuasis ne mors quidem mors esse potest vincentibus. Modo omnes converti velimus ad Episcopum & Pastorem animarum nostrarum, abjectis vinculis mali deceptricis. Modo, qui studiis incumbimus, demus ante omnia operam, ut in Christo firmam habeamus *ἐνστάσις* sine fallacia, nec teire nos aliquid existimemus, si nulla in nobis cura est testimonii vivi de Christo. Modo ingrediamur Christi vestigia, in iisque ne fugiamus, tanquam malum, id quod in ipso precessit victoriam. 2. Tim. II, 7. - 12. 3. seq. Sap. VII, 25-30. X, 1. 14. 15. Ps. CV, 9. Luc. XIII, 32. Apoc. III, 7. 8. 1. Tim. VI, 13-16. Vobis, o Nostris Vobis, quicunque cupitis intrare in gloriam, nec teneri fraudibus, dictum esto, quod Leo suæ ætate proclamavit: *Vestram*, ait, *in illo* (capite vestro J. C.) *redamate naturam. quoniam sicut ille paupertate divitias NON amisit, gloriam humilitate NON minuit, eternitatem morte NON perdidit: ita & vos eisdem gradibus, eisdem vestigiis, ut cælestia apprehendatis, terrena despiciate.* serm. 2. Pasch. P. P. Halæ Magdeburg.
A. M. DCCII. F. Pasch.

Halæ Magdeburg. Typis Johannis Jacobi Krefii, Acad. Typogr.